



70 H

IO. FRIDERICI HERTELII, D.

ANTECESSORIS SALANI,

CODICIS ET NOVELLAR. PROF. PVBLICI, CVRIAE PROVINC. SAXONICAE COMMVNIS ASSESSORIS, FAC. IVRID. ET SCABINAT. SENIORIS, ILLIVSQUE H. T. DECANI,

PROGRAMMA INAUGVRALE

DE

VVTRIVSQVE IVRIS PVBLICI DOCTORIBVS,

Von

Benderlen Staats-Rechts-Gelehrten,

NOBILISSIMI SVMMORVM IN IVRE HONORVM ET PRIVILEGIORVM CANDIDATI

IO. PHILIPPI HAGEMANN

SAALFELDA - THVRINGI,

DISSERTATIONI INAUGVRALI

DE

IVRE PVBLICO HASSIACO,

PRAEMISSVM.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS,

IO. FRIEDERICI HERTZELI

AMTCESSORIS PALATI

AD DIGNITATEM SACRI PALATII
AC ACADEMIÆ PÆNELOGICÆ
RECTORIS, HUIUSMODI DECRETUM

PROGRAMMA INAUGURALE

VITÆ SÆCULÆ PÆNELOGICÆ

DOCTORIBVS

PHILIPPO HARTMANN

IO. PHILIPPO HARTMANN

SALFELDIAE THURINGIÆ

DURERTATIONE INAUGURALE

IO. PHILIPPO HARTMANN

PHILIPPO HARTMANN

PHILIPPO HARTMANN

Handwritten mark



Q. D. E. V.



*I*uris Vtriusque Doctores, Licentiatos, Candidatos appellari, beider Rechten Doctores, &c. non ex eo, quasi operam dent Iuri dextro et sinistro, dem rechten Rechte und dem linken Rechte, dum iurisprudencia est *Iusti* atque *Iniusti* scientia; a) quemadmodum simplex illa vidua ab Electore Saxoniae IOANNE FRIDERICO petebat sibi tribui *das rechte Recht*; sed a duplici illo systemate, Iuris sc. *Ciuilis* et *Canonici*, nomen traxisse, communis est sententia; Vtut hanc Quaestionem: *An sub utroque iure intelligatur Ius Ciuile et Canonicum?* spinosam vocet et a nullo tractatam, WALTHERVS. b) Quamuis nec incongrua videatur et illorum deriuatio, qui a Iure *Diuino* et *Humano*, vom geistlichen und weltlichen Rechte, illos ita denominatos putant; c) quippe quod iurisprudencia sit *Diuinarum* atque *Humanarum* rerum, notitia. d) Alii iterum alias sibi fingunt nominum allusiones et onomatologias. e) Forte non male

A 2

- a) § 1. Inst. de Iust. et Iur. L. 10. §. 2. ff. eod.
b) 17. de stat. iur. et priuileg. Doctor. c. 11. §. 71. pag. 197.
c) BESOLD. Dissertat. de Maiest. in genere Sect. 2. cap. 1. §. 3.
d) L. 10. §. 2. ff. de d. §. 1. Instit. de I. et I.
e) Vid. omnino ITTER. de grad. acad. c. 2. §. 15. sc. 11.

male diceret, per *Iuris Vtriusque Doctorem* intelligi tam scientia *Theoretica*, quam prudentia *Practica* praeditum: f) alias enim manca foret et quasi truncata iurisprudencia, dum puri puti *Theoretici* contemptim vocentur *Leguleii*, g) qui comparantur liberis *Zebedaei* nescientes quid quaerant vel petant? h) et nudi *Pragmatici empirici* pro Infantibus legum habeantur. i)

Mihi impraesentiarum liceat denominare *Iuris Vtriusque Doctorem*, qui pollet tam *Publici* quam *Priuari* Iuris prudentia. Huius enim studii, nempe Iuridici, duae sunt Positiones, inquit Imperator: k) *Publicum* (scil. Ius,) et *Priuatum*. Quamuis autem ad solidam Iuris Publici scientiam et prudentiam requiri etiam adminicula *Historiae* et *Politicae*, l) quae *Principia communia* dicuntur, SCHWEDERO m) haut diffiteamur, neque solum ius *Iustinianum* inter principia *propria* et adaequata referre audeamus, sed alia quoque iura in Germania recepta, veluti feudalia, ecclesiastica, forestalia, et similia, nec non iura naturae et gentium huc

f) De necessaria connexione theoriae et praxeos, vid. ERIC. MAVRIT. introd. ad Prax. for. §. 1. seqq. LEYSER. med. ad ff. spec. 2. med. 2. A. FABER. praesat. ad tr. de error. pragmat. COCH. prax. for. germ. P. 4. praef. WINTHER. parthen. litig. L. 2. c. 5. n. 3. MANDELSLO de postergat. iust. c. 6. §. 4. n. 2. p. m. 415. seqq. et plur. al. DD. De vtriusque differentia et cultura vid. Dn. KEMMERICH. accession. instit. prooem. tit. 1. §. 24. seqq.

g) Vid. BERGER. Dissert. iur. sel. Disp. 2. P. I. §. 1. lit. b. B. de LYNCKER. comm. ff. L. 1. t. 1. §. 39. FELTMANN. de tit. honor. L. 2. c. 23. n. 7. seqq. CONRING. de Ciuil. prud. L. 3. c. 4.

h) Vid. Marc. X. v. 35. seqq. Matth. XX. §. 20. seqq. Post Rebuff. MASCARD. de prob. Vol. 4. concl. 1293. in fin. A. WINTER. de assessor. c. 6. n. 75. Philippi iv. de subbast. praeloqu. comm. 1. n. 10. 13. et 17.

i) BESOLD. thes. pract. voc. Practici.

k) In §. ult. Instit. d. Iust. et Iur.

l) Vid. L. E. de LYNCKER. analect. ad Schweder. Part. gen. c. 1. §. 6. et 14. et comm. ad Boecler. notit. imper. L. 1. c. 4. lit. mm. et lit. oo. it. bbb.

m) Inerod. in ius publ. Part. gen. Cap. 1. §. 14.

huc pertinere, firmiter nobis persuadeamus. n) Nec tamen dubitamus, Iuris publici Monopolium solis tribuere Ictis, et ab utriusque iuris, tam Publici quam Privati, commercio historicos et politicos, qua tales, arcere, haud veremur; o) ne admittatur confusio disciplinarum seu μεταβασις εἰς ἄλλο γένος. p)

Utriusque huius iuris, publici puta et privati, arctissima est cognatio; q) utrumque igitur combinare debet, qui integri, nec manci Iurisperiti, titulo gloriari cupit: r) Nec enim haec differunt specie aut formaliter, sed obiecto et fine, neque etiam iuris privati notitia absolui potest, semoto iure publico, et vicissim; cum primis quod iuris publici non omnia sint eximie talia, sed plurima privati iuris. s) Ideoque illos, qui iuris publici studium ad aulas Principum vnice protrahere nituntur, iurisprudentiam in scholis ad discendam mancam mutilamque reddere, scribit SCHWEDERVS c. l. t) Id quod etiam de Collegiis, quae extra aulam habentur, siue Iudiciorum siue Facultatum, Scabinatum et similibus, in quibus quotidie disceptanda et iudicanda veniunt, quae publici iuris sunt, probe monet laudatus LYNCKERVS. u) Imo etiam recte asseritur, Ius Iustinianicum, etiam qua publicum est, totum in Germania receptum esse. x)

A 3 Iam

n) Vid. HUBER, de iur. ciuiv. L. 1. c. 1. §. 3. seqq. ibique B. de LYNCKER. not. SCHWEDER. introd. iur. publ. P. gen. c. 1. §. 15. ibiq. LYNCKER. cit. loc. SCHÜZ praet. iur. publ. L. 1. t. 1. pos. 26. in fin. pag. 120. sq. ibique spicileg. pag. 599.

o) Dissent. Dn. LEYSER. medit. ad ff. specim. IV. med. 1.

p) Conf. SCHÜZ iun. Praelect. iur. publ. L. 1. t. 1. pos. 7. ibique spicileg. p. m. 609. seqq. MAURIT. Dissert. de princip. iur. C. 3.

q) Vid. LEYSER. d. l. medit. 2.

r) Vid. SCHWEDER, introduct. in ius public. Praefat.

s) LYNCKER. analect. ad Schweder. d. l. et ad Inst. L. 1. t. 1. §. fin. it. ad ff. L. 1. t. 4. ib. 36.

t) Add. EVND. d. introd. P. gen. c. 1. §. 9. spicileg. ad SCHÜZII praelect. iur. publ. pag. 600. seqq. ibique cit. DD.

u) ad SCHWEDER. cit. loc. et ad Boetler. notit. Imp. L. 1. c. 4. lit. d.

x) Vid. OBRECHT. Dissert. de coniung. privat. cum public. iuris stud. L.

B. de

Iam separatim et distributive si *Publicum Ius* considerandum veniret, qua ratione illud sub dichotomica denominatione *Vtriusque iuris Publici*, beyderley Staats = Rechten, praedicatum tribui possit ac debeat? haut incongrue disquirere liceret. Si admittere vellemus nonnullorum y) Distinctionem in *Ius Publicum Antiquum* et *Nouum*: haut incongrua videretur applicatio, si intelligeres Doctorem, qui non solum obsoleta iura publica Populi Romani aliarumque Rerum publicarum, veluti Aegyptiorum, Iudaeorum, &c. illorumque antiquitates *historice* callet, pro illustrando iure hodierno; sed et qui iure publico, in Imperio Romano-Germanico, quod in viridi observantia receptum est, probe est instructus. Verum haec diuisio non satis accurata videtur *Iohanni Heluico Sinoldo von Schütz*, z) quia antiquum, si intelligatur, quod adhuc in usu est, non sit diuersum a nouo; sin hoc, quod non est in usu, sed obsoletum, id nec iuris nomen mereatur, vt proinde haec distinctio seu diuisio sit nulla.

Quid autem, si *Ius Publicum* diuideretur in *Diuinum* et *Humanum*? Equidem si *efficienter* eam Diuisionem intelligeres, ita vt *diuinum* sit, quod ex praeceptis naturalibus siue gentium, et moralibus reuelatis collectum est; *humanum* vero, quod legibus posituius humanis constat, veluti Aurea Bulla, Capitulationibus Imperatoriis, Pacificationibus, et similibus: fortassis haut inepte nominares *Vtriusque iuris Publici, Diuini scil. et Humani*, Doctorem. Quod si vero hanc diuisionem *obiectiue* cum LVDWELLO a) accipere, et per *Diuinum* intelligere velis, quod agit de Sacris seu Sacerdotibus, per *Humanum*, quod de secularibus et prophanis

B. de LYNCKER. *analect. Inst. L. 1. t. 1. §. fin. et ad ff. L. 1. t. 4. th. 36. it. ad SCHWEDER. praef. et ad Boecler. not. Imp. praecogn. L. 1. c. 4. lit. kk. p. m. 33. seqq. Conf. STRYCK. Vf. Mod. ff., discurs. praelim. §. 39. seqq.*

y) Vt BRAUFLACHT. *Epit. iur. publ. L. 1. c. 1. n. 6. seqq. LIMNAE. iur. publ. tom. 1. c. 1. in fin.*

z) In *Praelect. iur. publ. L. 1. t. 1. posit. 3.*

a) *Exercit. Instit. D. 1. th. 6. lit. c.*

nis negotiis, per *L. 1. §. 2. ff. de I. et I. et L. 23. pr. C. de SS. Eccles.* tunc itidem dissentientem habebis *SCHÜZIVM c. 1.* quia haec distinctio notissimo vsui repugnet, quo diuinum et humanum diuidatur a causa efficiente; et praeterea vnicum tantum obiectum, status nempe rei Romanae, eiusque negotia prophana et Ecclesiastica inibi verterentur. At enim vero non adeo absurda videretur distinctio in ius publicum *Sacrum* seu *Ecclesiasticum*, et *Prophanum* seu *Seculare*: vt sic iterum *Vtriusque Iuris Publici*, i. e. tam *Sacri* et *Ecclesiastici*, quam *Secularis*, Doctor recte appelletur.

Melius arridet *SCHÜZIO b)* diuisio *Iuris Publici* in *Scriptum* et *Non-Scriptum*. Quamuis enim haec diuisio praecise restringatur ad species seu partes *Iuris Romani Iustianei* in *§. 3. seqq. iunct. §. 9. Inst. de I. N. G. et C.* c) Nil tamen impedit, quo minus in thesi et abstractiue eandem cum communi schola extendere liceat ad quaelibet iura positiua in genere; d) neque apparet ratio, cur ad *Priuatum* ius eam restringat *LAVTERBACHIVS*. e) Quemadmodum vero plurimi in eo hallucinantur, quod *systema Iuris Feudalis* simpliciter ad *Ius non-scriptum* referant, f) cum tamen non minus contineat quoque constitutiones scriptas: g) Ita et eandem censuram subire cogitur *BRAVTLACHTVS*, b) quod *Iuris publici scripti* partes simpliciter assignat *Auream Bullam* et reliquos *Imperii Recessus*; quia i) multa *iuris publici capita* in *Aurea Bulla* et reliquis *Imperii constitutioni-*

b) In *Pract. iur. publ. L. 1. t. 1. posit. 4.* ibique *Auctor. spicileg. §. 15. pag. 606. seqq.*

c) Vid. *B. de LYNCKER. analect. ad §. 3. n. 1. it. Comm. ff. L. 1. t. 3. §. 32. et §. 10. Inst. de I. N. G. et C. STRVV. exerc. ff. 2. ib. 1.*

d) Vid. *STRVV. exerc. 2. ib. 2. seqq.* ibique *Pet. MÜLLER. not.*

e) *Colleg. iur. pract. ff. L. 1. t. 3. §. 1. et WERNER. specim. comp. Lau-terb. L. 1. t. 3. pag. 46.*

f) Vt *STRYK. exam. iur. feud. c. 1. quaest. 12. et SCHÜZ. coll. feud. c. 1. §. 19. pag. 22. pr.*

g) Vid. *LYNCKER. anal. ad §. 3. Inst. tit. de I. N. G. et C. voc. Consuetudinum feudaliū. et ad STRVV. iur. feud. c. 1. apb. §. n. 3. in fin.*

h) In *Epis. iur. publ. L. 1. c. 1. n. 13. seqq.*

tionibus continentur, quae iam ante illas constanti usu fuerunt tacite recepta; scriptura vero confirmatoria superueniens non mutat substantiam iuris non-scripti; i) Deinde 2) omnia, quae in Aurea Bulla, vel Capitulatione, vel Pacificationibus occurrunt, iuris publici esse, nemo dixerit, cui peccus sapit. k) Interim tamen in terminis habilibus Doctorem Vtriusque Iuris Publici, *Scripti* scil. et *Non-Scripti*, appellare perfectum Ictum, nil videtur impedire.

Optima denique Diuisio, ad praesens institutum accommodata, est illa, qua distinguitur in Ius Publicum *Generale*, quod vel ad vniuersam Imperium vel territoria Statuum in genere spectat, et *Speciale*, quod specialia vel singularia cuiusque territorii, ceu specialis reipublicae iura ac statum definit. l) Eodem fere redit, quando Principia Iuris Publici Romano-Germanici dispescuntur in *Communia*, et *Propria* seu *Domestica*; m) sed haec potius opponuntur iuri publico *vniuersali* Naturae et Gentium, quod excoluit VLR. HVBERSVS n) Quemadmodum vero singulae gentes praeter commune illud et vniuersale suum quaelibet habet peculiare Ius Publicum; o) Ita dubitare non licet, quin in Imperio nostro Rom. German. singuli Status Imperii suo quoque gaudeant Iure Publico peculiari; quo fere inclinare videtur *Iust. Sin. SCHÜZ*, p) qui tamen iura publica *Specialia* cum *Priuilegiis* promiscue accipere videtur, quae tamen pro-

i) Vid. LYNCKER. *analect. iur. feud. C. I. aph. 7. n. 5. et ad Inst. L. 1. 1. 2. §. 3. pag. 18.*

k) Sunt verba SCHÜZII *praelect. iur. publ. L. 1. 1. 1. pef. 4.*

l) Vid. Dn. KEMMERICH *synops. iur. publ. R. G. proleg. §. 5. seqq.*

m) *id. d. l. §. 12. seqq.*

n) *De Iure Ciui. ibique Bar. de LYNCKER. annot. Vid. AVTHOR. spicileg. ad SCHÜZ. praelect. iur. publ. L. 1. 1. 1. §. 6. p. m. 602.*

o) Vid. MAVRIT. *Diff. de princip. iur. publ. cap. 2. §. 2. seqq. VITRIAR. Inst. iur. publ. prooem. §. 3. seqq.*

p) *In Colleg. publ. de stat. rei Roman. exerc. I. th. 11. iunct. exerc. VI. et VII.*

proprie loquendo accuratius alias sunt discernenda. q) Et sic quoque nomen *Vtriusque Iuris Publici*, veluti *communis* siue *generalis* et *specialis*, Doctorum merentur, qui vtrique operam dederunt.

Specimen huius *de Iure Publico Hasfiaco* edidit, et in cathedra publica defendere conabitur contra Oppugnatores eruditos, Nobilissimus atque clarissimus Iurium Candidatus

IOANNES PHILIPPVS HAGEMANN

SAALFELDA - THVRINGVS.

Cuius vitae et studiorum curriculum quum Ipse calamo satis apto nec minus eleganti delineauit, illud meis verbis enarrare supersedeo, inferendo Ipsius verba modestae fidei et succinctae relationis:

Incunabula mea primum vidit Salfelda Thuringorum anni aerae Dionysiacae $\text{c}^{\text{lo}}\text{l}^{\text{ccc}}\text{xiii}$. d. 18. Octob. parente natus IOHANNE PHILIPPO HAGEMANN, iuri in praefectura Salfeldensi dicundo praeposito, matre vero GERTRAUD ex stirpe Belgica van BADENSTEIN orta, GERHARDI van BADENSTEIN signiferi olim copiarum Ordinum Praepotentium Bataviae filia, utroque parente multis iam abhinc annis defuncto. Paucis post diebus quum lucem adspexissem, beati parentes curam adhibebant ut primis Christianorum sacris initiarer. Nec id praetermittebant ut ab ineunte statim aetate litterarum studiis eruditus euaderem. Sic magistros mihi praefecerunt domesticos, sub quibus cum Theologorum tum Philologorum praecepta addiscere possem. Anno decimo tertio in ludum patrium missus sum, doctoribus fratribus M. M. SCHNEIERIS Con-
B Recto-

q) Vid. LYNCKER. *analect.* ad SCHWEDER. *Part. spec. f. 1. c. 10. §. 2.*
et *Inst. L. 1. c. 2. §. 3. ix. ad ff. L. 1. 1. 4. pag. 12. et ad Def. L. 5.*
e. 33. qu. 1.

Rectore videlicet et Rectore vsus, nunc beatis. Sed b. Ge-
 nitorem non praeteribat optime cum filio actum esse, si
 eius doctrinarum studia non praecipitarentur; quod fieri
 putabat si filius e schola minori academiam properaret.
 Quo circa illius dictis audiens anno MDCCXXXII, mense
 Aprile *Coburgum* me contuli, vt Gymnafii, quod ibi est,
 academici, ciuis crearer. Numero studiosorum Publicorum ad-
 scriptus sum sub D. ALBERTO MENNONE VERPOOTEN
 tunc temporis Directore, nunc vero magna cum laude Dan-
 tisci viuente. Ex eo tempore quoad his musis interfui ani-
 mum ad Philosophorum aequae ac Philologorum scita adieci.
 Collegia stili, vt vocant, priuatissima, Doctoris Summe Re-
 uerendi IOHANNIS CONRADI Schwartz, iam Directo-
 ris emeriti per duos annos et dimidium audiui. Cursum
 Mathematicum duce plurimum Reuerendo BONIFACIO
 HENRICO Phrenberger bis absolui, Viro cui adhuc ma-
 xime me obstrictum fateor. Acroases iuridicas et histori-
 cas b. IO. DAN. GIEHNLEIN frequentauit. Recitationi-
 bus priuatis in artem dialecticam Schwarzianis sedulo in-
 terfui. Examinibus singulis septimanis institutis semper
 praesens fui. In arenam disputatoriam aliquoties descendi.
 Fundamenta linguae gallicae atque Italicae etiam Coburgi
 ieci, nec eas exercitationes praetermisi, quibus corpus ala-
 crius et robustius fieri posset. Sermone tandem propem-
 ptico habito Athenas Halenses petii. Iura studiosi obtinui
 anno MDCCXXXIV, quum muneribus ProRectoratus per-
 fungi coeperit ILL. IO. GOTTL. HEINECCIUS. Ex hu-
 ius etiam Digestorum et Institutionum Iustinianearum nec
 non Iuris germanici interpretationibus, iuris interioris sci-
 entiam mihi adsequutus sum. ILL. IVST. HENN. BOEH-
 MER praecepta Iuris canonici mihi tradidit. In recitatio-
 nibus vero Iuris publici et Iuris feudalis ILL. IO. PETR. de
 LVDEWIG mihi elegi. Studium historicum in scholis Vi-
 ri Excellentissimi MARTINI Schmeizel Fautoris et Prae-
 ceptoris ubique obseruantia colentis absolui. In addi-
 scenda

scenda lingua Anglica multam operam collocaui. Anno MDCCXXXVI. celeberrimam hancce musarum sedem adii. Albo academico adscriptus sum quum fasces teneret b. SYR-
BIVS. Collegiis humanitatis *Buderianis, Hambergianis, Koeb-
 lerianis, Hertzogianis et Stellwagianis* interfui. Vir enim Illu-
 stris, Patronus ac Praeceptor pie colendus, **CHRISTIA-
 NVS GOTTLIEB BVDER** cognitionem historiae S. R. Imperii mihi tradidit. Ex ore vero V. Exper. **HAMBER-
 GERI** suavisissimam scientiam rerum naturalium pependi, **b. KOEHLERVS, HERTZOGIVS** Virque Praenobilissimus ac Clarissimus **STELLWAG** mihi Logicam. Metaphysicam et Ius naturae docuerunt. Ex praelectionibus **DOMINI PRAESIDIS** in iure civili, iure publico atque exercitiis practicis fructus cepi optatos atque insignes. In iure Germanico vti et criminali Vir Excellentissimus Amplissimus-que **IO. RVD. ENGAV** Praeceptor mihi fuit. Linguae Gallicae atque Italicae studium quoque dedi, quod effecit vt in collegium, cuius focii linguam Italorum addiscere student, me adsumerent. Linguae Belgicae vt et Hispanicae fundamenta pariter ieci, et sic triennium nobile Ienae consumsi. Tandem hoc anno circa festos paschatos dies discedere et Rudolstadtum migrare iussit diuina prouidentia. Paulo post aduentum **SERENISSIMVM FRIDERICVM ANTONIVM S. R. I.** Principem Schwartzburgicum, Reliqua, demisse orauit ut causas in foro agendi copia mihi daretur, quam Princeps **SER.** mihi clementer concessit hac lege, vt vires ingenii mei iuridici rite et legitime tentarentur. Hinc in numerum, qui ibi est, *Aduocatorum* susceptus sum. Quum vero sic gerendo tantum profecissem, vt priuilegia doctoralia capesere possem, litteras ad Illustre, quod Ienae floret, **ICTorum Collegium** mense Augusto exaravi, desideriumque meum modeste exposui. Qui Senatus omni honoris cultu deuenerandus, cum consuetis examibus meos in Iurisprudencia profectus exploraret, potestatem mihi dedit, vt dissertationem inauguralem sistens *Ius publi-*

publi-

publicum Hasfiacum hodiernum sub auspicijs Viri Illustris IO-
HANNIS GEORGII ESTOR e cathedra publice defendere
possem.

Dignissimum igitur iudicavit inclytus Iurisconsulto-
rum Ordo, cui non solum cathedra aperiretur publica,
pro ostendenda sua legum eruditione omnibus litteratorum
Patronis atque Fautoribus, sed etiam vt praemia suae vir-
tutis et diligentiae, nimirum summae Docturae iura et pri-
uilegia eidem impertirentur. Vt igitur actum hunc dispu-
tatorium proxima die XVIII. Nouemb. honorifica sua praesen-
tia splendidiorem reddere haut dedignentur *Magnificus Aca-*
demiae ProRector, Comites Illustrissimi, Procere Academiae sum-
me Reuerendi, Illustres, atque Excellentissimi, Hospites atque Fau-
tores studiorum honoratissimi, nec non generosa atque nobilissima
Studioforum cohors, est, quod Facultatis et Officii nomine
obsequiose, enixe, et peramenter peto, rogo, atque con-
tendo. P. P. in Academia Ienensi d. xv. Nouembr.

A. R. S. c l o l o c c x x i x .



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 2181473

7 A 2691

